

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clarissimo uiro, D.Paulo Ebero, fratri suo charissimo [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

angustiora apud eos, qui liberalitatem exercere cis
piunt. Bene uale.

Clarissimo uiro, D. Paulo Ebero, fratri
suo charissimo, *ἡ δὲ συμφιλοσόφῳ,*
S. D.

I 137.

Philosophiam apum tibi mitto, cuius conside-
ratio & ipso melle dulcior, & illustre testimoniū
est, hunc mundum non exitisse casu, ex Democriti
atomis. Inuocemus igitur uerum illum architectum
pulcherrimorum naturæ operum, & Ecclesiæ con-
ditorem, patrem æternum Domini nostri Iesu Chri-
sti, ut & Ecclesiæ suæ alueolos & nostra examina
defendat & seruet. Meus magister, qui me de api-
bus docet, te orat, ut mecum in ipsam Academiam
apum uenias. Iosepho dialecticas pagellas mitto: &
puto paginam, quam habet in manibus, compleri
posse *ἢ ποτ' ἔτιω*. Da operam, ut totū opus reliquū
condiatur illecebris: ut sicut apiculæ melissæ inui-
tantur, ita nos iuuentutem inuitemus suauibus ma-
terijs. Scriptū ad Bohemos absoluā intra biduū: de-
inde Synodi refutationem inchoabo. Deceui enim
testimonia in hac *ἰσχυρά* certaminum edere, de
rebus ueris & necessarijs, Deo iuuante, uel si iam
tyranni ferirent meam ceruicem. nec me deterret
amici nostri Ioachimi solitudo: cui quidē opto ut
sit beatus, & tranquillitate studiorum fruatur. Nos
si

fi iam taceremus, deseruisse & abiecisse causam ne
 cessariam iudicaremur. Sed in ipsis controuersijs
 sunt quedam, de quibus cuperem cum amicis collo-
 qui Mitto Synodi orationes: in quibus & illa est,
 quam Vitus coepit excudere, quæ ex hoc archety-
 po absolui poterit. Et addemus querelam *περι γον-
 τίας διαφθορίας νερά τῆς διδασκαλίας*. Be-
 ne uale. Datæ Seruastæ, Die 26 Martij, quo ante
 annos 1514. filius Dei in sepulchro fuit. 1547.

Historia apum.

Initio ueris circa æquinoctium eximuntur ex al-
 ueis mella superiore æstate facta. Nam in his regio-
 nibus, quicquid est mellis in æstate factum, totum
 relinquitur in alueis in hyeme. Alibi pars eximi-
 tur. Sed dicunt, apes spoliatas tristiores fieri. Ideo
 hic totum eis relinquitur, ut integro suo labore
 fruenter, in hyeme minus sint sollicitæ. Exempto
 melle, quia domuncula in eximendo laceratur, pri-
 mus labor est cellulas reficere, ad quod ceras tunc
 faciunt. Domibus refectis, adferunt rorem: cui in-
 cubantes, nouam sobolem gignunt: quia multe pe-
 reunt uarijs malis. Curam igitur quotannis habent
 generis constituendi. Postea nouas cellulas consti-
 tuunt, & noua domicilia educunt, & colonias fa-
 ciunt. Quartò, in Maio florentibus pomis col-
 ligunt dulcẽ succum, hic primum incipit mellifica-
 tio.